Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et curavit eos ibi. Ergo si galileorum non in
galilea sed in finibus alterius regionis idem iu-
deos curavit, quia salus que parabatur iude-
is danda erat gentibus. Sanando turbas il-
lum se esse ostendit quod ait ad moysen: Ego
sum qui sano te. Et accesserunt ad eum phari-
sei temptantes eum et dicentes: Si licet homi-
ni dimittere uxorem suam quacumque ex cau-
sa? Animadvertenda distinctio. Ecce
turbe accesserunt ut docerentur et sanarentur. pha-
risei autem ut temptando deciperent. Nec mi-
rum, quia istos adduxit devotio, illos vero in-
vidia. Opposuerunt domino cornutum syllogis-
mum, ut quicquid responderet captioni pa-
teret. Dicebant enim: Si dixerit licet, respon-
debimus: iste predicator pudicitie contra-
ria sibi docet. si autem dixerit non licet, reus sa-
crilegii tenebitur et contrarius moysi, immo
et legi dei date per moysen. Sed ipse ut deus
eorum intentionem intelligens, ita temperavit
suam responsionem ut decipulam et dolos
eorum velut fila dirumperet. Adduxit namque
sacram scripturam in testimonium et naturalem
legem, et primam legis sententiam opposuit
secunde legi, que non est voluntate dei data
sed necessitate peccantium concessa. Ait enim:
Non legistis quia qui fecit ab initio mas-
culum et feminam fecit eos? Et dixit: Propter
hoc relinquet homo patrem et matrem et ad-
herebit uxori sue, et erunt duo in carne
una. Et concludit: Iam non sunt duo sed una ca-
ro. Quasi dicat: Non fecit deus unum mas-
culum et plures feminas, nec dixit adhe-
rebit uxoribus sed uxori tantum uni. quia no-
luit fieri discidium et divortium. Et quia
vir et mulier una caro efficiuntur, non de-
bet vir putare diversum quod ex latere
viri est factum. Quod ergo deus coniunxit
homo non separet. Deus coniunxit unam fa-
ciendo carnem viri ac femine. Et quod
deus coniunxit homo separat, quando amore
secunde coniugis pulcrioris, ditioris, sa-
pientioris dimittit primam. Deus autem
quod coniunxit separat, quando inspiran-
do facit ut coniuges dei amore sub vo-
to continentie vivant, ut secundum apostolum
qui habent uxores tamquam non habentes sint. Que-
rendum quare dixit dominum dixisse: propter
hoc relinquet homo patrem et matrem
et cetera, cum hec verba ade sint. Dei sunt et
ade, quia deo inspirante hec prophetan-
do dixit adam in christo et in ecclesia. Et quod ita
sit testatur apostolus: Misterium hoc mag-
num est; ego autem dico in christo et in ecclesia.
Nam dominus christus quasi patrem deseruit cum de
celis descendit ad terras. deseruit et
matrem synagogam propter infidelitatem
et adherebat uxori sue sancte ecclesie et
sunt duo uno in corpore, quia christus caput
ecclesie est, ecclesia corpus. Et sicut nec christus ab ecclesia
nec ecclesia dividitur a christo, ita nec
vir a muliere nec mulier a
viro separari debet. Dicunt illi: Quid ergo
moyses mandavit dare libellum
repudii et dimittere? Marcus dicit
dominum eos interrogasse quid esset scriptum
in lege, et illos respondisse moysen
precepit dare libellum repudii. Nec
est contrarium. Nam mattheus voluit os-
tendere illorum intentionem fuisse